



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae De Virtutibus Ad Quas Ducit Et Vitiis  
A Quibus Abducit Doctrina Lovaniensium De Gratia Christi**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1684?]**

Pertinens.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10951914-1**

functionis alicujus transeuntis procurare debet. Quia nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam, & nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Quae autem domus Dei, inquit Augustinus in Ps. 126. & ipsa civitas: domus enim Dei populus Dei; quia domus Dei Templum Dei: & paulo ante: qui sunt isti qui laborant aedificantes? omnes qui in Ecclesia praedicant verbum Dei, ministri Sacramentorum Dei..... nos loquimur foris, ille aedificat intus. Quod in conversione peccatoris, aut profectu justii operatur ipsorummet voluntas, nihil est comparatum illi, quod in ipsis operatur Deus: quod vero in ipsis operatur vox praedicantis aut monentis minus est, quam quod ipsorummet voluntas; imo non aliud operatur vox praedicantis quam lex, de qua scriptum est: *lex iram operatur*; si nimirum desit gratia: haec vero impetratur orando, potissimum si oret ille, qui legitime constitutus est ut ad aliorum salutem dicat, regat, aut alia exterius agat: siquidem hinc fit, ut Deus det voci ejus vocem virtutis, & regimini ejus regimen virtutis &c.

Quod semel scriptum est, Christum orasse: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi*, indubie Christus semper desideravit, & in corde semper oravit ad exemplum illorum omnium, quibus Deus dedit aliquos ad horum salutem. Hinc magnus ille praedicator gratiae eis quibus Evangelium annuntiabat, gratiam illud adimplendi tam frequenter ac ferventer optavit & oravit: ut videre licet ex ipsius Epistolis, potissimum ex earum initio & fine. *Sine intermissione*, scribit Romanis, *memoriam vestri facio, semper in orationibus meis*: sciebat enim: *quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* 1. Corint. 3.

Facile quoque est ex haecenus dictis colligere, quod doctrina S. Augustini de gratia, tanto magis excitet ad gratitudinem, (adde & amorem erga Christum) pro justitia, sive meritis à Deo datis, quanto in illis majus agnoscit beneficium, magisque indebitum. Hinc in Apostolo Paulo toties illa gratiarum actio pro justitia ac meritis, quae Deus dedit Romanis, Corinthiis, &c.

*Doctrina Augustini de gratia per se efficaci conformis est doctrina de differenda absolute consuetudinariis & aliis consentibus imparatis.*

**E**tsi Deus bonum voluntatis motum efficienter producat, voluntatem determinando ad ipsam conversionem, non solet tamen in peccatoribus potissimum consuetudinariis id facere, nisi praxi ipsi dando delectationes quasdam caelestes, quibus sensim/quamvis absolute aliter possit) ipsos ad veram conversionem praeparet. Vide Sanctum Augustinum, Sermon. 34. de divers. c. 12. & serm. 56. de temporationes allegat Sermon. super Psal. 6. item super 106.

Oportet ergo ut Confessarii se conformando illi modo, quem in ejusmodi peccatoribus convertendis solet tendere Deus, cupiditatem sensim minuens, & delectationem caelestem in illis sensim augens, eisdem peccatoribus praescribant exercitia pietatis ad delectationem caelestem augendam, prout exercitia poenitentiae ad minuendam cupiditatem, & orationes ad utrumque; atque ita (non omitteado etiam sua pro illis orationis & alia pietatis exercitia) eos faciant per gradus ascendere ad amorem Dei praedominantem, sine quo cum nil profutura sit absolutio, facile colligitur quam saepe haec sit differenda: amor namque ille sive Dei dilectio praedominans non mox ut nascitur perficitur, ut perficiatur nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur. S. Aug. tract. 5. in epist. 1. Joan.

#### P E R T I N E N S.

**D**eus in hoc statu etiam immediate determinat voluntatem ut bene agat, non ergo merè per delectationem caelestem indeliberatam; ad malum vero voluntas immediate determinat seipsam, & quandoque ultra vires concupiscentiae praecurrit.

F I N I S.